

Nº-64

(Leg. 1. - P. 3º)

ps. 18

OBSIDIUM,  
OPPUGNATIO ET DEFENSIO  
URBIS GERUNDENSIS.

A RAIMUNDO BALART ET GRANADA,


LATINÆ LINGUÆ CATHEDRATICO

IN INSTITUTO EJUSDEM CIVITATIS.

---

Dulce decus, sanctum munus pro legibus almis,  
Pro patria, solio, justitiæque mori.

---



MATRITI:

—  
APUD JULIANUM PEÑA, TYPOGRAPHUM.

Calle del Rúbio, núm. 53.

—  
MDCCLXVI.





U/Bc LEG 1-3 nç64

HTCA



1>0 0 0 0 2 5 7 3 3 1





18  
pag.  
OBSIDIUM,

OPPUGNATIO ET DEFENSIO

URBIS GERUNDENSIS.

A RAIMUNDO BALART ET GRANADA,


LATINÆ LINGUÆ CATHEDRATICO

IN INSTITUTO EJUSDEM CIVITATIS.

---

Dulce decus, sanctum munus pro legibus almis,  
Pro patria, solio, justitiæque mori.

---




MATRITI:

—  
APUD JULIANUM PEÑA, TYPOGRAPHUM.

Calle del Rúbio, núm. 35.

—  
MDCCLXVI.









debeatur æquissime viro, cujus ob propinquam cognationem adiisti hæreditatem? Potiorem te cupere potuisse difficillimum arbitror, quam illius merita inelytissimi viri, cujus militari prudentia, consilio, fortitudine et constantia urbs ea liberata fuit summis obsidionis periculis. De cæteris ejus virtutibus moralibus, civilibus et militaribus, de quibus te gloriari decet, nihil ego sum dicturus; cum præsertim plusquam satis et illis testimonium dederit ille vir, qui, nisi eum invidia, et cum eo urbem, cui præerat, hostilibus armis immolavisset, celeberrimis omni earum genere viris similaretur.

Quamobrem tibi uni hujus opusculi dedicatio jure optimo debetur, et à me gratulatio de omnibus bonis, quæ tibi ad tuam, et generationis tuæ nobilitatem augendam, nec non ad præclarissimi viri et urbis, cui præfuit defendendæ, memoriam perpetuo conservandam, ab eodem viro pervenerint. Et ego, si hoc à me tenuissimum obsequium accipere digneris, à te maximo me honore cumulatum existimabo. *Vale.* = RAIMUNDUS BALART.

---



## AD LECTOREM.

---

Carmina discernens hæc nostra, piissime Lector ,  
    Quidquid inest maculæ, dissimulare velis.  
Non stimulavit enim lucri laudumve cupido,  
    Cum censura magis sit metuenda mihi ;  
Debita sed merito merces tantummodo mentem  
    Excitat, ut gravius numine nitar opus.  
Sum mihi diffidens, humilis, timidusque loquendi,  
    Pauper, honore vicens ; nec, miser, esse queror.  
Sum minus eloquii nimis altisonantis amicus,  
    Quam placet ingenita simplicitate loqui.  
Inspice sermonem, faciemque videbis in illo ;  
    Respice nunc faciem, sermo nec alter erit.  
Sum minime vates, metricam sed pronus ad artem ,  
    Immerito quamvis vatis honore vocer.  
Attamen eloquium patrio præferre latinum,  
    Et metricum recto, vis aliena premit.  
Durus erit sermo talem tibi pandere causam :  
    Non bene laus proprio fertur in ore viri.  
Hoc tamen expeditam tibi, quale modestia poscit ;

Absit, ut, indignus laude, superbus agam.  
 Carmina jam puer excolui, suadente Camœna :  
 Virgilium legi, dux fuit ille mihi.  
 Millia confeci, captus sermone latino,  
 Quæ ditione sua ventus et ignis habent.  
 Arma sed in Gallos sumens, ineunte juvena,  
 Deserui Musas, nec memor inde fui.  
 Militia functum, puerosque latina docentem,  
 Me veniunt iterum sollicitare senem.  
 Has ego despiciam temere, querulasque fugabo?  
 Aut ingratus eis, aut inimicus agam?  
 Sollicitæ me sermonem docuere latinum;  
 Talibus his aures ipse negabo meas?  
 Sunt mihi cara nimis, doleoque latina videri  
 Carmina dura viris, aut aliena sibi.  
 In lecto finxi, rapiens sua tempora somno,  
 Cladibus in mediis, et sine pane diu.  
 Illa levant curas, quibus angor, et otia præbent;  
 Sunt mihi deliciis, sunt medicina malis.  
 Illa, mihi comites, per iter sectantur euntem;  
 In lecto vigiles somnia vana fugant,  
 Extaticumque tenent : tormenta, polumque tonantem  
 Auribus impediunt obstrepitare meis.  
 Plurima scripta manent ideo, quæ posthuma servo;  
 Edere namque pudor, pauperiesque vetat.  
 Sermo latinus abit, jam jam periturus habetur :  
 Nemo sponte sua, quod sit inanis, amat.



Rebus in adversis veri noscuntur amici :  
 Ejus ad extremum cladis amicus ero.  
 Queis opibus valeam, dum spiritus hos regat artus,  
 Non ego deficiam, sim licet unus, ei.  
 Carmen erit nostri nam testis amoris in illum,  
 Vis licet invidiæ, ludibriique premat.  
 Namque virum cohibere metus non debet ab auso :  
 Dummodo quisque legat viribus æqua suis.  
 Patrius in Gallos juvenem bellare coegit,  
 Me decus istud amor poscit inire senem.  
 Nam dolui proprio sibi vate carere Gerundam,  
 Carmine qui caneret gesta virosque suos.  
 Immortale decus totum meruere per orbem,  
 Non potuere tamen vatis honore frui?  
 Non is ego, quantum possim, quia defuit alter,  
 Nitor inire decus, quale Gerunda meret.  
 Si satis ei dignas videar non reddere laudes ;  
 Parce voluntati, quod mea musa nequit.  
 Quid potui, feci : nemo graviora tenetur,  
 Quam valeant humeri : plura nec ausus ero.  
 Nil super ingenium, sed uti natura suasit :  
 Hujus enim leges non superare datur.  
 Haud ita sum tumidus, maculis ut abesse laborem  
 Arbitrer, et venia non opus esse mihi.  
 Judicium quare gratum sapientis habebō ;  
 Semper amicus ero, consiliiq̄ue memor.  
 Qualia sint ea, Lector, habe pro munere, quæso :

Si bona, nil mereor; sin mala, culpa gravet.  
 Judicis officium super his, auctore soluto,  
 Exerce : sat erit, si moderatus agas.  
 Observa maculas, cense, quod inane, repelle :  
 Carmen et auctorem ne jugulare velis.  
 Ingenuum cernes illud, minus arte politum,  
 Quam tyronis opus : sic mihi vena fluit.  
 Siquid habet meriti, gratis data gratia poscit :  
 Ipsius sit honos, qui mihi tale dedit.  
 Naturæ legum Deus auctor, et arbiter unus,  
 Fixit ei metas, quas superare nequit.  
 Munera distribuit; non omnibus omnia, et æqua,  
 Sed finita libens, et variata tulit.  
 Ingenium, duce natura, sublime requirit,  
 Perfectumque rei; nec reperire potest.  
 Perfecti solus Deus auctor, ut ipsemet in se :  
 Rebus in humanis ne pete tale, deest.  
 Sic erit, ut fuit, ars, virtus, hominumque labores,  
 Legibus, et strictum limite quidque suo.  
 Quare opus humanum, quamvis habeatur honestum,  
 Et mirum, nec erit, nec sine labe fuit.  
 Utilitate caret nihil : at sapor omnia censet :  
 Hoc parum, plus hoc; nonnihil omne valet.  
 Judicium, sensus, ratio, mens conscia recti,  
 Hæc pretium statuunt jure cuique rei.  
 Hoc te prudentem, ne censor acerbior in me,  
 Quam pius esse velis, Lector amice, precor.



EXCMO. DOMINO MARCHIONI GERUNDÆ.

---

Hos licet exiguos, Excellentissime Castro,  
Defero versiculos, suscipiasque precor.  
Res gestas in eis cernes prætoris et urbis,  
Unde tibi titulus, quo decorere, fuit.  
Incompti veniunt, quales audacia finxit;  
Nec potiore mihi numine Musa dedit.  
Cur ego, non vates, ausus sim munia vatis  
Usurpare mihi? Forsitan ipse feres.  
Objicient alii sic : Obsidiumne Gerundæ  
Histore, teste simul; numquid honore caret?  
Illius obsidio, quamvis sit tradita typis,  
Nota manet paucis; vix solet ipsa legi.  
Nec satis historiis laudatus habebitur heros :  
Qualis erit meritus, talis habendus honor.  
Nomen in eis ingens fuit Alexander adeptus ;  
Æmulus ille tamen laudis Achillis erat.  
Nec contentus adhuc tot in eis sua gesta referri,  
Carminis ardebat illa canenda sono.  
Carmina namque viris decus immortale dedere,



Queis quasi in historia fama sepulta jacet.  
 Iliademne nisi quondam cecinisset Homerus,  
 Troja, virique sui, gestaque nota forent?  
 Aut quantus fuit in Grajis Pellæus Achilles,  
 Famane pro factis digna fuisset ei?  
 Fama suum posuit templum super ardua montis,  
 Ædis in excelso, vixque videnda sedet.  
 Munera nulla meret, qui non pervenit ad illam :  
 Nec datur accessus, ni cui gesta ferat.  
 Ponderat illa viros, et facta recenset eorum :  
 Judicat absque dolo, qualia quisque meret.  
 Hos habet historia dignos, hos carmine censet :  
 Præmia pro meritis æqua cuique refert.  
 Ergo Gerunda, virique sui, tot cladibus acti,  
 Tot morbos passi, funera, bella, famem ;  
 Per septem menses quassa ignivomentibus armis,  
 Hostibus obsistens viribus una suis ;  
 Heroidis decoranda fuit per sæcula laude ;  
 Pieriis ejus gesta canenda modis.  
 Hæc humili, pro more meo, non vate canente,  
 Carmine, non vates, ausus inire fui.  
 Singula non memorare licet præclara virorum :  
 Sed neque magnanimi summa silere ducis.  
 Alvarez á Castro, prætor, pars maxima rerum,  
 Omne ferens humeris obsidionis onus,  
 Exemplo, plusquam verbis, et adire pericla,  
 Et per honoris iter compulit ire suos.

Perfidiam ducis hic Galli cognovit, et odit,

Quocum colloquium noluit esse sibi.

Ejus et insidias cavet, fugitque; nec aures

Ad promissa dedit, sprevit et ipse minas.

Illius in patriam pietas, constantia, lauri,

Adversus Gallos, causa fuere necis.

Semper in historiis invictus habebitur heros:

Nullis in pugnis victus ab hoste fuit.

Per Virtutis enim pervenit Honoris in ædem;

Herois meruit nomen inesse sibi.

Semper honos nomenque viri memorabile: nullus

Ejus erit vacuus laudis in orbe locus.

Hujus habe meritum tibi, Marchio clare Gerundæ:

Gratulor hunc titulum conciliasse tibi.

Illiusque viri dignus successor et hæres,

Quod debetur ei laudis, habeto tuum.

Juris habetur opes soboli spectare parentis:

Namque meret generi, quæ meret ipse sibi.

Nec dos ulla potest ab avis procedere major,

Quam quibus hi valeant nobilitare genus.

Nobilitas animi virtus innata putatur,

Et talis soboli, qualis origo fuit.

Desuper hæc augenda datur, pretiosior auro;

Impigrisque parit munera, nomen, opes.

Illa dies noctesque viros virtutis amore,

Pro patria stimulat, justitiaque mori.

Insidiæ siquando, dolus, mendaciæ tentant;



Nulla sed invidiæ vis abolere valet.  
 Hanc, qualem meruere patres, servare tenetur  
     Progenies; aliter deses omittet eam.  
 Nemo viro te degenerem reputabit ab illo,  
     Nemo vel indignum sanguinis ejus habet.  
 Consilii regis procer, ipsiusque minister,  
     Hoc auges titulos, hisque decore tuos.  
 Alvarez á Castro, prætor, tutorque Gerundæ,  
     Immortale suis nomen habere dedit:  
 Utque vir ille suos tanto cumulavit honore,  
     Sic prior inter eos addis utrosque tuis.

IMMORTALI ET HEROICÆ

GERUNDÆ

IN EJUSDEM OPPUGNATIONIS AB EXERCITU GALLORUM,

DIE XIII CAL. OCT. AN. MDCCCIX.

COMMEMORATIONEM.

---

CANTUS.

Te decet, heroum genitrix, invicta Gerunda,  
Cantibus, ornatu, votisque per annua festa  
Insignem celebrare diem, quas anxia curas,  
Quas in eo pugnas tuleris, quem nacta triumphum;  
Magnanimumque ducem, qui te virtute tuentum  
Hostibus eripuit : quorum non immemor ulla  
Esse potest ætas : et ego tibi carmine plaudam,  
Afflatum nisi Musa mihi, cantusque negarit.

10 Gallus amicitiam simulans, perjurus et audax,  
Armorum terrore suæ ditionis habendas,  
Hispanas ingente manu pervaserat urbes.  
Ambitione doloque sed invasoris aperto,



Vindictam sumptura suis ex hostibus, omnis,  
 Unanimisque in eos exarsit Ibera juvenus :  
 Exemplumque Gerunda sequens, ob vota senatus  
 Militiæ, populique, tuos sociare parasti  
 Præsidio cives, ex his glomerare cohortes.  
 Militis et civis nomen commune fit inde,  
 Et genere ex vario populus componitur unus,  
 20 Quem patrius conjungit amor, succendit in arma :  
 Consiliumque fuit cunctis consurgere bello,  
 Atque omni studio muros opponere Gallo.

Cum prius hic foedus fingens Hispana per arva,  
 Et tua trajiceret nimium per mœnia fisus,  
 Atque tuas captu faciles contemneret arces,  
 Sponte reliquit eas, nullos habiturus in usus.  
 Sed bello semel incepto, cum vidit in armis  
 Consiliis obstare suis, retroque relictas  
 Impediisse vias, per quas traduceret agmen,  
 30 Errori tribuit sibi, quem reparare coactus,  
 Bis venit legione tuos obsidere muros.  
 Cum nihil ex pugnis retulisset ab urbe triumphi,  
 Pulsus ut obsidio toties premeretur abire,  
 Armorum puduit decus amisisse suorum.

Gallorum dominator ubi de clade recepta  
 Certior est factus, statuit persistere cœpto ;  
 Segnitiamque ducum culpans, iratus et ipsis,  
 Obsidium renovare jubet, studiumque reposcit,  
 Ut capiant urbem, quam sæpe dolebat omissam.

- 40 Arma, virumque manus, tormenta, quid utile bello,  
 Ad peragenda duces lectos mandata remittit,  
 Idque frequenter eos monitisque minisque coercet.  
 Agmen in obsidium properat, velut ursus in agnam,  
 Atque tuos invadit hians, circumdat et agros,  
 Unde minis deterret, opesque ostendit et arma.  
 Jamque priore sibi visus certamine victor  
 Hostis erat, murosque tuos subiturus et arces,  
 Atque potitus eis, urbem ditione tenere :  
 Consilium vero, sumptum sapienter ab arte,  
 50 Vertit inane vigor prætoris et arma gerentum.  
 Mille quater decies quamvis circumdata Gallis,  
 His opibus tua non potuit constantia flecti.  
 Vincere sive mori statuens pro legibus almis,  
 Omnibus in pugnis, armis et viribus impar,  
 Agmina vicisti jactantia nescia vinci.
- Napoleonis ubi rumor pervenit ad aures,  
 Invictas acies hac urbe nequisse potiri,  
 Exscisas imo crebris conflictibus esse ;  
 Imbelles parvis opibus defendere muros,  
 60 Consiliisque suis ausos obsistere cives ;  
 Præcipuamque moram fore deditionis acerbum  
 Adversus Gallos odium prætoris et iram,  
 Haud ullis aures pactis adhibere tenacis ;  
 Nullis devinci telis jam posse Gerundam,  
 Donec eam prætor talis ditione teneret :  
 Extemplo pavor invasit reperisse putantem



Vincendi metas, invicti nomen ademptum,  
 Exanimes acies, nec eis jam fidere posse.

Hæc animo secum volvens, sic ore loquutus :

70 *Agmina nostra, quibus tot bella exhausta, tot urbes*

*Captæ, totque acies victæ, sternantur inane!*

*Gens Hispana furens in me consurgat in armis,*

*Pugnet ubique tenax, et ego devincar ab illa!*

*Bailenis in agris ingens amissimus agmen,*

*Et nostras irridet opes infirma Gerunda!*

*Nilne mei potuere duces adversus eandem?*

*Quidve moratur eos? An eos ignavia cepit?*

*Nulla quibus potuit vis, sola Gerunda resistet?*

*Conatusque meos ejus constantia perdet?*

80 *Cum ducibus nostris, nullis expertus in armis,*

*Imo recens in eis, audet contendere prætor?*

*En quid agam? Patiarne meos tot inane perire?*

*An revocabo meas ex obsidione cohortes?*

*Dedecus, heu!.... potuisse mihi contingere tantum,*

*Pulsus ut obsidio videar cessisse Gerundæ!*

*Talibus oppressus curis exarsit in iras.*

*Arma, ducesque novos mittit, quibus imperat amens,*

*Quid valeant opibus, studeant, quid fraude vel arte,*

*Queis æquare solo te, queis cumulare ruinis.*

90 *¡Tantus eum dolor amissi vexabat honoris!*

*Montibus adversis vix dum sua castra locavit,*

*Constituitque suas circum tua moenia turmas,*

*Cum mandata sibi novus obsidiator adimplens,*

Illecebris prius, inde minis, sese indicat urbi.

Nuncius ergo venit, muros ut traderet ipsi.

Cujus de adventu factus vix certior heros

Alvarez á Castro, prætor dignissimus urbis,

Hispanum decus, exemplar virtutis in armis,

Obvius occurrit; sed inexorabilis hosti,

100 Processum veniamque negat legata ferendi.

Ac prius ore viæ causam quam proderet ille :

*Ocius, inquit ei, retro vestigia tende,*

*Et mea verba duci, qui te mihi miserit, affer :*

*Colloquium nolo secum, nec tradere muros :*

*Quandocumque velit, capiat, quibus audeat armis.*

*Ne redeat, morietur enim, quis nuncius alter,*

*Et quicumque simul de deditioe loquatur.*

Quæ responsa viri populus vix aure recepit,

Unanimi manuum celebravit ad æthera plausu,

110 Et delata sibi spernit promissa minasque.

Hanc renuens hostis tantam tolerare repulsam,

Mox tormenta parat, noctesque diesque minatur

His excissurum totam cum civibus urbem.

Haud procul hujus erat portis castellus in alto,

Qui superabat eam, pro qua pugnaverat ante,

Cum crebro per tres menses certamine quassam,

Defendisset eam strenue Fournasius heros.

Arx erat illa prior tutela fidesque Gerundæ :

Attamen invitis animis, et clade coacti,

120 Præsidio tot jam pugnis morbisque minuto,



Hoc abiere solo, nec enim servare valebant  
 Eversum cives, nec eos habitare sinebat  
 Ipse locus lethalis eis, quod millia circum  
 Funera Gallorum ex pugnis inhumata jacerent.  
 Integer ejus adhuc murus, qua vergit ad urbem,  
 Hostibus aptus erat nudare tuentibus ipsam :  
 Quare ut eum caperent, pugnas iniere frequentes.  
 Hinc urbem statuere modis delere malignis.  
 Per plerosque dies, numquam cessante furore,  
 130 Mortiferum tormenta vomunt in mœnia ferrum,  
 Fulmineique globi, cœli in regione volantes,  
 Præcipites in tecta ruunt, incendia miscent.  
 Nec locus ullus erat, vir ubi tutamen haberet,  
 Adversus quassata, diuque ruentia tecta :  
 Terror ubique patet, luctus, et mortis imago.  
 Nec tamen ipsa sinit genti vitare periculum  
 Ferrea tempestas: prohibet mandare quieti  
 Corpora fessa nimis, creber labor occupat omnes.  
 Extinguunt alii limphis incendia tecti,  
 140 Corpora tum moribunda levant oppressa ruinis ;  
 Occisos alii ducunt inferre sepulchris;  
 Imbellesque senes Dominum puerique precantur.  
 Omnis enim civis, nullo discrimine sexus,  
 Ætatis, generisve sibi mandata peregit,  
 Præsidiumque sibi loca designata tuetur.  
 Obsidium quinto jam mense Gerunda subibat,  
 Annonæque famem tulerat penuria genti :

Totque inter strepitus, tempestatesque globorum,  
 Terrores, vigiles curas, incendia, cædes,  
 150 Venerat ecce dies Octobres ante Calendas  
 Tertius et decimus, memorabilis, atque cruentus;  
 Quo stratam cernens hostis jam mœnibus urbem,  
 Atque vias in eis, qua victor adiret in arcem,  
 Nomine Germanum, tormentis undique quassam,  
 (Mœnibus hæc hærens urbis, supereminet omnem)  
 Constituit, certus vel obire, vel urbe potiri,  
 Instructas adversus eam ducis arte cohortes.  
 His turmis terrore putans compellere cives,  
 Colloquium primo de deditione poposcit.  
 160 Cum promissa minasque viris indiceret illinc,  
 Nec caperet responsa, nisi tormenta dedissent;  
 Nequidquam re tentata, succensus et ira,  
 Haud ratus eventum, scalis jam rite paratis,  
 Undique collectas turmas in prælia ducit.  
 Jamque propinquabat portas inimicus ad urbis  
 Viribus exultans; visoque repente periclo,  
 Impendente viris, fessos quos somnus habebat,  
 Ecclesiæ cathedralis eis custodia turris  
 Dat signum, Gallos jam jam succedere muris.  
 170 Extemplo campana sonos ad sidera tollit,  
 Terribilisque tubæ clangor compellit ad arma;  
 Et magis atque magis concrescit in urbe tumultus.  
 Exoritur subito clamor muliebris ad auras:  
*Arcis habet muros obsessor, et urbe potitur:*



- Et magno portæ strepitu clauduntur in unum.  
 Improvisus adest confluxus ubique virorum.  
 Hinc furor, hinc metus, hinc animos invadere terror  
 Incipit, et vario miscentur murmure calles.  
 Hic vocat uxorem natosque, domumque remittit;  
 180 Hic rapit arma, petit socios, concurrit in arcem;  
 Hoc etiam pueri faciunt, nec lege vocentur;  
 Hic tremit, hic fugit, ille furit, reprehendit inertes,  
 Et compellit eos monitis, ut et arma capessant;  
 Hic aperire jubet portas, quæsitque latentem,  
 Et minitatur ei mortem, ni deserat ædes.  
 Et gravior fieret vulgus, ni solveret illum  
 Buccina quemque vocans ad mœnia sorte tuenda.  
 At pavidæ matres parva cum prole, senesque  
 Ingenti trepidare metu, diffidere muris  
 190 Incipiunt, nec posse diem vitare supremum.  
 Et clamare simul, nihili fore viribus uti;  
 Absentesque dolere viros, lugere preemptos;  
 Fundere vota, preces, ad cœlum tendere palmas,  
 Supplice voce Deum metas orare malorum:  
 Inclusique domi trangressos mœnia Gallos,  
 Et gladios horum jugulo tremuere minaces.  
 Templâ sacerdotes adeunt, Dominumque precantur  
 Suppliciter veniam lacrymis, populique salutem;  
 Ast alii stimulare viros ad mœnia tendunt,  
 200 Inque exemplar eis ipsi defendere muros.  
 Ocius arma capit, concurrit et omnis in arces

Defensurus eas populus; proque urbe tuenda  
 Ante mori jurant, quam se decedere pugna.  
 Emicat inter eos prior, et regit omnia prætor,  
 Et gladio districtus adest, ubicumque periculum  
 Imminet, hortaturque viros, animosque ministrat:  
 Et metus omnis abest, ubicumque vir ille moratur,  
 Namque refulget ibi tamquam virtutis imago.  
 Ejus in ore flagrat numquam placabilis ira  
 210 In Gallos, et ea flammescunt corda suorum.  
 Nemo referre pedes, nemo trepidare cohortes;  
 Corpore quisque suo patriam defendere curat.  
 Si quis erat tremebundus, iners, insuetus et armis,  
 Exemplo comitum monitus, fit fortior ipsis.  
 At parte ex alia veniens acerrimus hostis,  
 Irruit, atque ferox urbem se viribus infert.  
 Qualis in accessu gradiitur, tumidusque lacessit  
 Oceanus terras, crescentibus involat undis;  
 Oppositasque sibi superans in littore moles,  
 220 Arva, domos, villas proculcat, et omnia mergit:  
 Haud aliter gressus præceps tendebat ad urbem.  
 Nullus obex illum, vis nulla tenere videtur;  
 Quo magis oppositum cernat, magis ille propinquat:  
 Jamque subit muros, tamquam jurasset eosdem  
 Quisque in corde suo sese penetrare priorem.  
 Alter in alterius faciem venit obvius hostis,  
 Et conferre manus inter se miles uterque,  
 Impatiensque moras á se remove laborat.



Tantus utrisque fuit pugnam quærentibus ardor,  
 230 Vix ut erat ventum coram tutoribus arcis,  
 Et cives videre simul prope mœnia Gallum;  
 Neutra sibi spectans acies ad prælia signum,  
 Concurrunt tandem secum discrimen inire.  
 Ardet ager circum muros, Calvarius, arces  
 Germanum, turris Gironella, ruinaque muri  
 Sanctæ Luciae, et Saracina; solumque Gerundæ  
 Contremittit armorum strepitu, ferrique procella.  
 Clamor utrinque fremit: vires augere videtur  
 Ira furorque viris: nec eos jam mortis imago  
 240 Terret ab incœpto, sternantur corpora passim,  
 Pugnantum feriant aures lamenta cadentum.  
 Desertæ calles, plateæque, foresque reclusæ,  
 Tectorumque fragor, tormentorumque rugitus,  
 Et campana frequens, inclusos ædibus angit,  
 Sed multo magis eventus certaminis anceps.  
 Horrendo procul hinc nemus omne remugit,  
 Extremamque monet sociis instare ruinam.  
 Territus, et miseratus eam circumcola vulgus,  
 Pro patria, sacris, urbemque salute tuentum,  
 250 Suppliciter Dominum lacrymis votisque precatur,  
 Nec datur optanti præbere juvamen amicis.  
 Per momenta furit certamen, et inter utramque  
 Pugnantum partem gravior succenditur ira,  
 Quo potior pugnae sua causa cuique videtur.  
 Hos ciet armorum decus, atque superbia Galli

- Nominis invicti, studium ditionis in orbe;  
 Non ratio, nec ab Hispanis injuria quædam.  
 Hispani contra, falso jam fœdere rupto,  
 Perfidia læsam pietas hortatur et ira  
 260 Ulcisci patriam, de crimine sumere pœnas.  
 Et vis vim, strenuum strenuus petit, agmen et agmen,  
 Haud ignarus uterque suæ virtutis et artis,  
 Has exercet, ubi sit opus; neutrumque fatigat,  
 Quale sit eventum, quo se victoria vertat.  
 At decuplo major numero prae civibus hostis,  
 Segnitiam damnans, qua sese pugna ferebat,  
 Agmine selecto, conjunctis undique turmis  
 Irruit in muros, scalas his admovet audax,  
 Et stantes magnis vigiles terroribus urget.  
 270 Sub momenta viris gelidus timor occupat artus.  
 Tunc agitare fugam, properantque recedere pugna,  
 Et vacuos hosti muros custode relinquunt.  
 Ille subit præceps, summaque exultat in arce,  
 Igne viris gladioque minax, timidosque repellit.  
 Hic manifesta manus fuit Omnipotentis in hostes.  
 Dum primi quasi jam capta super arce tumescunt,  
 Tormentis ingens paries percussus eorum  
 Labitur, et late strages super agmina venit.  
 Nec terret casus reliquos, sed mœnibus exstant;  
 280 Vi tendunt tota partum servare triumphum.  
 Auxilium veniunt alii deferre fugatis,  
 Qui subito tenuere pedes; animoque recepto,



Detrudunt Gallos muris, jugulantque morantes.  
 Succedunt alii pulsis; amissa requirunt  
 Mœnia, nec requiem dant defensoribus ullam:  
 Nec cives animo cecidere tot hostibus acti.

Tegmine nudato capitis, mucrone coruscus,  
 Advolat, auxiliumque ferens, ubi pugna gravescit,  
 Prætor adest illic animo vultuque sereno.

290 Qualis ubi caput attollens Orientis ab undis,  
 Illustrat Phœbus terras, fugat inde tenebras,  
 Restituens rebus quos hæc rapuere colores:  
 Haud secus adveniens prætor, vix ipse loquutus,  
 Vim sermone suis reddit, pellitque timorem.  
 Insuper exemplum medio in discrimine pugnae  
 Non minus objicitur virtutis ad ora tuentum.  
 Donec enim cives æstuque sitique laborant,  
 Vulneribusque jacent; pueri, innuptæque puellæ,  
 Matronæque Gerundenses venere libenter,

300 Cujuscumque modi deferre levamen egenis.  
 Nec deterret eas hostis, stridorque pilarum,  
 Conjugis, aut nati, patris, fratrisve cadaver,  
 Quominus officium tribuant pietatis in illos.  
 Hic exhausit aquas, propere sitientibus affert;  
 Hæc extollit humo cæsos, quibus ipsa medetur,  
 Aut humeris vehit hospitio, lectoque reponit.  
 Ordo ministerium proprium sacer applicat illis;  
 Atque suas in eos medicans exercitat artes.  
 Talibus auxiliis arcis custodia fidens,

- 310 Cæsorum curis exempta, sitique levata,  
 Hinc animo sese toto convertit ad arma.  
 Accensi sermone ducis, patrioque furore,  
 Clamorem simul attollunt ad sidera cives,  
 Et simul invadunt, arcentque ex mœnibus hostem.  
 Hic ira flagrans rabida cum voce minatur,  
 Mox eversurum totam se funditus urbem.  
 Terque quaterque loco fuerat depulsus eodem,  
 Et toties invadit eum. Velut æquoris unda,  
 Oppositas sibi cum statuit dissolvere moles,  
 320 Nunc tumefacta fluit, quatiens immobile saxum,  
 Eructat rabiem, refluitque liquata sub æquor;  
 Nunc vires reparata subit, spumosa recedit;  
 Itque reditque tenax, frustra que exercitat iras,  
 Dum rupes immota manet, superatque furores:  
 Haud aliter subiens rediensque per ostia muri,  
 Tempus inane terit Gallus, dat sanguine pœnas,  
 Terra madet rubro saturata liquore suorum.  
 Ast acies perpessa vices urbana resistit,  
 Parva licet numero, vires prosternit eorum.  
 330 Hæc infausta videns inimicus, opesque minutas,  
 Inque fuga meditatus iter restare salutis,  
 Consulit ipse sibi, pugnaque recedit inani.  
 Victus ubique fugit, plenumque cadavere campum  
 Deserit, inque via terror comitatur euntem.  
 Confestim campana sonum deponit acerbum,  
 Festivoque canit, populumque in templa vocante.



Defuncti pugnis agitant jam gaudia cives ,  
 Exultant animis , mœrore metuque levantur ,  
 Et grates et vota Deo meditantur agenda .  
 240 Acribus insultant fugienti vocibus hosti ,  
 Quod , prius invictum jactans , devictus abiret ;  
 Inque vicem parto gratantur honore triumphi ,  
 Incolumenque juvat patriam servasse ruina .  
 Corpora fessa petunt requiem , percussa medelam ,  
 Atque premente fame , panem vinumque requirunt ;  
 Sed neque panis erat , nec erat medicina dolenti .  
 Propterea nisi mœstitia , mixtamque dolore  
 Lætitiâ victrix acies ostendit in ore ,  
 Nam famis angit eos crudelis imago futuræ .  
 350 Talibus oppressi curis , hostilia castra  
 Exspoliare cibis conantur , et inde potiri  
 Obsidiantis opes audent , si copia fiat .  
 Hanc ergo á prætore rogant , animosque parabant ,  
 Ut rem perficerent : subito furiosa per agros  
 Cum properat legio , socios ultura repulsos .  
 Elatis animis , et eo jactantior instat ,  
 Quo sibi jejuni saturis obstare videntur ,  
 Saucius incolumi , detrita recentibus arma .  
 Talibus excellens cives in viribus hostis ,  
 360 Protinus invadens accessit ad ostia muri .  
 Te mihi , Calliope , precor , aspirare canenti ,  
 Cæteraque istius memorare tremenda diei  
 Arma , vicesque , quibus legio nunc altera victrix ,

Altera nunc fuerit; quæ gesta virumque labores,  
 Et quibus immersus pugnator uterque periclis,  
 Et virtutis utri tulerit victoria fructus:  
 Testis enim tantis aderas oculata gerendis.  
 Prædandi veniam cives inimica petebant  
 Ardentes epulas, animosque manusque parabant;  
 370 Namque fames avidos promptosque tenebat ad ausum,  
 Sollicitosque moræ: sed eos mutare coegit  
 Consilium species turbæ properantis ad arces.  
 Dat signum campana recens instare periculum,  
 Insequiturque virum clamor, clangorque tubarum.  
 Arma cito rapiunt: acies inimica propinquat  
 Mœnibus, et renovatur ibi teterrima clades.  
 Hinc strepitus tormentorum, stridorque pilarum  
 Terrores augent ubicumque, necesque profundunt.  
 Egreditur telis fumi densissima nubes,  
 380 Et quasi velamen sese circumtulit urbi:  
 Vix ager ex muris, hostis vix cernitur hosti.  
 Hinc quassata pilis, passimque ruentia tecta  
 Omnigenam feriunt plebem, tumulantque ruinis.  
 Qualis ubi certare solet Notus obvius Euro,  
 Et Boreas Austro, reliquis irascitur alter,  
 Unguibus ac totis inter se prælia miscent,  
 Inque vicem lacerant; ruit hinc cataclismus aquarum,  
 Grandine, fulminibusque fluens, tonat undique cœlum,  
 Terra tremit, stridunt silvæ, tumet æquor ad astra,  
 390 Omnis ubique suam metuit natura ruinam:



Talis in urbe fuit strepitus, terrorque colentum.

Nemo sibi visus lethi discriminis expers;

Nemo tamen corpus renuit deferre periclis:

Quisque locum sibi mandatam servare tenetur.

Nec minus interea Galli caligine tecti

Invadunt muros: vires audacia præbet.

Conscendunt scalis, manibus fastigia prensant,

Et caput ostentant tumidi, minitantur et arma;

Et cecidere simul sævo mucrone tuentum.

400

Post alii subeunt, pariter jugulantur ut agni,

Præcipitesque trahunt secum post terga sequutos,

Nemo pedes firmare valet super ardua muri.

Germanum statuunt alii prius arce potiri,

Unde sibi visus facilis dominatus in urbem,

Præcipuas in eam tendunt impendere vires.

Despiciunt obices, aditumque per aspera quærunt,

Et subiere, velut nemo defenderet illam.

Electi sed erant juvenes ibi pectore firmo,

Et præfectus eis valde dux inclytus armis,

Qui nullum statuere pedem deflectere retro;

Queis tamen oppositis, acies adversa propinquat.

Jam pedibus junxere pedes, vacuusque nec inter

Agmen utrumque locus, nec erant, nisi signa pavoris,

Cum monitus nec jussa ducum spectare morantes,

Dux et adhortator factus sibi quisque lacesens,

Concurrunt, oriturque cito teterrima cædes.

Prælia miscentur prius ignivomentibus armis,

Interdum saxis manibusque; nec arma parari  
Proximitas utriusque sinit pugnantis et ardor.

420 Rarus erat locus, ac adeo certantibus asper,  
Vix ut nemo pedes firmare valeret.

Vix auditur ibi, præter lamenta ruentum;  
Ipsorumque super stragem pugnatur in ipsis  
Mœnibus eversis, interque superque ruinas.

Tantus utrinque furor mentes cæcabat eorum!

Ecce autem, graviter dum pugna vigescit ubique,  
Prætor adest, aliis veniens ex mœnibus ultro,  
Germanum premit arcis eum nam maxima cura:

Venerat, ac alia citius revocatur ab arce.

430 Conspicit, atque suos abiens hortatur amice:

*Hic animis opus est, totis hic viribus uti,*

*Præcipuam vobis turrim commendo tuendam,*

*Unde salus urbis dependet, honorque triumphî:*

*Me graviore vocant alii in discrimine muri.*

Arcis ei contra sic dux respondet eunti:

*Sis, prætor, felix muris e clade levandis;*

*Hunc ego defendam: duce me, depone timorem:*

*Aut invasores, aut nos moriemur in illo.*

Inde suos hortatur, idemque obsessor agebat.

440 Ergo pugna furit, sensimque tenacior ardet.

Hos veterum memores, laurique cupido futuræ,

Hos amor in patriam, sed honos utrosque suadet

A semel inceptis numquam cessare gerendis,

Donec eis meritas dederit victoria palmas.



Hinc hostes urgent, hinc cives viribus obstant:  
 Neuter ab adverso decedit: uterque repellit  
 Alterius vim vi: muri que cruore rigantur.  
 Qui telis alios ferit, ocius ipse feritur:  
 Sternitur hostis uterque suo in certaminis orbe.  
 450     Testis adhuc fuerat Sol; et tot cladibus actos,  
 Sollicitusque viros tanta contendere pugna,  
 Totque in ea cecidisse dolens; ne tale videret,  
 Oceano sese demersit, et obruit undis,  
 Imperiumque dedit Nocti, quo temperet iras.  
 Illa venit, cursum celerans, Orientis ab oris,  
 Paulatimque suas extendit in orbe tenebras;  
 Pugnansque monet, sua quemque in castra redire,  
 Et defessa nimis bello dare membra quieti.  
 Nec tamen absistunt armis; quinimo sub umbris  
 460     Horrendum, reliquis gravius, certamen initur,  
 Ac si nulla forent hucusque peracta priorum.  
 Jamque acies inimica pedes referebat ab arce;  
 Et devicta fugam celerans in castra parasset,  
 Altera ni veniens opibus succurreret illi:  
 Coniunctisque suis acies ita viribus ambæ  
 Invadunt, qua strata dabant eis mœnia portam.  
 Jam subeunt arcem ferme tutoribus haustam,  
 Jam numerus superat major, pellitque minorem.  
 Non secus ac amnis tumidus pluvialibus undis,  
 470     Quo magis obstet ei quidquam, magis ille superbus  
 Riparum moles dirumpit, et æquoris instar

Exit in arva furens, evellit sedibus ornos,  
 Prosternit villas, urbes, et ubique ruinas  
 Fluctibus exultans dispergit, et omnia vastat:  
 Talis erat turbæ cumulus subeuntis in arcem.  
 Quidquid ibi vacuum, denso mox milite complent,  
 Quidquid vallatum, sternunt, obicesque revolvunt,  
 Expediuntque vias, per quas exercitus intret.  
 Illicet auxilium clamant ex arce tuentes.

480 Mœnibus ex aliis pauci deferre juvamen  
 Concurrunt, aliaque cito de sede vocantur.  
 Casus ubique premit, titubatque tot inter egentes  
 Miles opem cui præcipue deferre petentum;  
 Ingemit, et languet tanta sub mole laborum.  
 Fervet atrox sensim conflictus, et acrior urget:  
 Campanæque frequens sonitus, clangorque tubarum,  
 Armorum strepitus, tenebræ, gemitusque cadentum,  
 Mortis ubique ferox conspectus, et hostis in hostem  
 Clamor et ira minax, urbem terrore replerunt,  
 490 Non secus acque dies foret iste novissimus orbis.

Disparibus longe telis, numeroque minores,  
 Cum lassos cives labor obsidionis haberet,  
 Cumque, premente fame, nec stare, nec ipsa valerent  
 Arma tenere manu, nec eos defendere murus;  
 Tempus ad insidias aptum procedere censens  
 Gallus, adhuc victus, vario sermone loquutus,  
 Rursus eos monuit de deditioe Gerundæ;  
 Ni subito faciant, extrema minatur eisdem.



Tale nefas odere viri, pactusque recusant,  
 500 Ante mori statuunt, quam tradere talibus aures.  
 Haud passus responsa, flagrans obsessor ob iram,  
 Constituit factis, non verbis amplius uti,  
 Et jugulare jubet nullo discrimine gentem,  
 Militibusque dedit prædas pro munere belli.  
 Ardentes animis hostes, avidique rapinæ  
 Interiora petunt urbis penetrare per ignem  
 Et gladium, totamque sibi cepisse videntur.  
 Haud impune tamen : passim cecidere priores :  
 Qui sectantur eos, fato capiuntur eodem,  
 510 Et reliqui tenuere pedes, formidine capti.  
 Auxilium præbent alii post terga sequuti,  
 Et nova turba locum replet, numerumque cadentum.  
 Invadunt iterum, similique pavore tenentur.  
 Corpora pro muris opponit inertia pubes,  
 Defenditque suo loca non sine sanguine fuso.  
 Tot licet ex pugnis defessa, tenacior audet  
 Pro patria jam jamque cadente subire suprema.  
 Sic hortatur honor, sed corda dolore gravantur,  
 Viribus exhaustos, tot ubique prementibus armis,  
 520 Postremos obices arcis non posse tueri;  
 Et tamen anteferunt morti, quam cedere Gallis.  
 Hæc momenta crisis definitiva fuerunt,  
 Unde, Gerunda, tua salus, sive ruina pependit.  
 Hostis ubique premit muros, et ubique tenaces  
 Obsistunt cives, nec eos constantia liquit.

Sed gravius belli pondus desævit in arcem  
 Germanum; toto studio conatur habendam  
 Hostis uterque suam, totaque laborat opum vi.  
 Hæc quassata diu tormentis ostia pandit  
 530 Hostibus, ex ipsa plane transitur ad urbem;  
 Dux ideo defendit eam clarissimus armis,  
 Et lecti juvenes, et ibi nihil artis omissum.  
 Hanc avidi totis Galli cum viribus urgent:  
 Et quamvis resupina jacent ibi mille suorum  
 Funera, suscepto nolunt avertere bello;  
 Post victas in eam turmas misere recentes,  
 Jamque tenent partem. Reliquam custodia servat,  
 Tot pugnis defessa nimis, nimiumque minuta;  
 Pro muro perfractus obex opponitur hosti.  
 540 *Væ populo, si Gallus eam pertranseat arcem!*  
 Et languens adversus eas contendere moles  
 Præsidium nequit; auxilium ni protinus adsit,  
 Nil aliud jam restat eis, nisi fundere vitam.  
 Jam nihil audentes infirmis viribus uti,  
 Efficit angor eos miseræ emittere voces:  
*Heu nos, exclamant, fratres! amittimus arcem,*  
*Ni subito reddatis opem, premit ultima clades.*  
 Tristis abit clamor, totaque vagatur in urbe,  
 Fœmineisque gemit crebris ululatibus æther,  
 550 Et triplicat campana sonos, ea signa pericli.  
*Hostilis fragor auditur: jam clangit in arce*  
*Buccina victoris Galli: jam desuper urbi*



*Imminet ille furens, nec eum vis continet ulla.*

Contremittis auditis plebes, ignara quid ausit;

Hostiles hærere sibi jam conspicit enses.

*Auxilium ferat, exclamant, qui possit, in arcem.*

Ecquis ei feret, heu! cum nemo sit utilis armis?

Non est subsidium, nemoque labore solutus;

Aptus enim civis murum sibi quisque tuendum

560 Occupat, ut nequidem decedere possit ab illo.

Urbs deserta manet. Mediis in callibus ejus

Nemo moratur : inest, impendet ubique periculum.

Plumbea grando ruit, ferrique perennis et ignis

Tempestat : impune vorant incendia tecta,

Nec superest quisquam, flammam qui stinguere curet.

Prætor adest aliis in mœnibus, inscius arcem

Clade premi tanta; fisis virtute tuentum,

Nescit eos quantus numero nunc comprimat hostis.

*Heu! nec erit, quis ei statum denuntiet urbis?*

570 Talis eam stringit conflictus : et ecce repente

Exit in auxilium vulgus, qui restat ineptus

Ædibus inclusus, puerique, senesque, puellæ,

Matronæque; domique sibi carissima relinquunt.

Deseritur cultus, fortunæ, ægrotus, et infans;

Amplexuque fovent, dubii liceatne videre

Rursus eos, animasque velint amittere juxta;

Cum lacrimis iterumque iterumque his oscula figunt.

Urbis eos hunc summa salus perferre dolorem

Exigit, armorumque caput jactare periculis.

580 Proripuere domo, vacuas petiere plateas;  
 Constituuntque inter sese, quo quisque juvamen  
 Deferat, atque suas fratrum conjungere vires.

Æstuat interea late per mœnia bellum,  
 Et gravius graviusque premit discrimen in arce;  
 Præsidiumque perit sensim, paucique supersunt.  
 Nec venit auxilium. Diffisi fratribus orant  
 Omnipotentis opem. Vox exauditur ab alto:  
 Et Superi precibus flectuntur, opemque precantur.

Amissas subito reparant in pectore vires,  
 590 Inque vicem cives hortantur obire tuendo.

*Oh socii! timor absit, ait dux inclytus arcis:  
 Propitius nobis Dominus monstratur aperte.  
 Non sumus ignari quantum virtute sit actum;  
 Nec nos Posteritas unquam reputabit inertes.  
 Arx eversa jacet, fuerat quæ credita nobis,  
 Funera mille suis tumultans inimica ruinis;  
 Quæ graviora manent nobis subeunda, videtis.  
 Undique deveniens longe numerosior hostis  
 Ejus habet partem, reliquam servare tenemur.*

600 *Mœnia nulla tegunt, et opis nil fertur egenis;  
 Pectora sola manent, nobis ea murus habenda,  
 Et quam justitiæ causam defendimus ultro.  
 Extremis extrema modis vincenda pericla.  
 Quare pro patria, nobis, et fratribus urbis  
 Nos pugnare decet, si forte necesse sit, usque  
 Dum super unus erit: sic nam, sic patria poscit,*



*Sic in eam pietas. Sed non moriemur inulti,  
Nec nisi perfidiae pœnas aggressio solvat,  
Cæсорumque manu nostra cumuletur acervus.*

610 His dictis incensa viri sua pectora norunt,  
Unanimique duci plausu responsa tulere ;  
Extremasque suas vires conatibus hostis  
Opponunt, et eum procedere longius obstant.  
Væ cui per fractos obices penetrare sit ausus !

Territus obsessor virtute tenace tuentum,  
Ignarus causam, certus de gente minuta,  
Et tenues illis obices restare tuendos ;  
Ne sibi deficeret, metuens, occasio talis,  
Extremam belli sortem tentare paravit.

620 Ipse tamen cernens animos languere suorum,  
Ante pedes qui tot socios videre jacentes ;  
Se, modo nitantur parum, vix arce potitum,  
Urbe potiturum ; turmas missurus in ipsam  
His acuit dictis : *Macti virtutis, oh Galli !  
Hanc vobis decet esse, nisi mavultis ab urbe,  
Quam sumus aggressi, fæde discedere pulsi.  
Tantane segnities hodie deterret ab auso?  
Nec pudet invictos vulgum trepidare fugacem?  
Propitioque, quasi victos, absistere bello?*

630 *Heu! ubinam vigor ille latet, qui terruit orbem?  
Venimus ad pugnae finem, jam cepimus arcem ;  
Et dubitatis adhuc timidos invadere cives?  
Nos penes est urbs : in manibus fortuna reponit :*

*Vulgus enim servans aditus, arcisque ruinas,  
 Auxilio cassus, nec habens ubi sistere detur,  
 Ante pedes sese nostros prosternet, et arma :  
 Solus obex patet hic ; proclivia cætera nobis,  
 Atque omnes ex arce viæ monstrantur apertæ.  
 Præcipitate moras, inquam, properemus ad urbem.*

640 *Nos in eam vindicta ciet, gazæque fluentes,  
 Et decus imperii, nostrumque : paremus oportet  
 Ergo neci gladios, oculosque manusque rapinis.  
 Ut potiamur ea, parum jam restat agendum.*

Prætor in extremis alias defenderat arces,  
 Unde vocatus erat dubio discrimine pugnæ ;  
 Ejus enim facies simul anxia corda serenat,  
 Et recreat timidum, reddit vim viribus hausto.  
 Mœnia tuta videns ex hostibus inde fugatis,  
 Lætitia exultat : strepitus cum protinus urbis,

650 *Campanæ sonus, et plangor muliebris ad aures  
 Percrepuit ; rapidusque ad eum venit alter et alter  
 Nuntius inde ferens, arcis tutamen agentes  
 Nunc extrema pati, jam jam succumbere letho.  
 Ilicet, excubiis murum defendere jussis,  
 Cum reliquis volat auxilio pugnantibus ægre.  
 Jam properat, parvaque venit comitante cohorte ;  
 Adventumque ducis læto clamore salutant,  
 Et manibus cives : plausus tota urbe vagatur,  
 Exacuitque viris animos, et terruit hostes.*

660 *Hi tenuere pedes, armisque silentia ponunt,*



Adventum pavidi prætoris, opemque ferentum,  
 Quippe quibus gravius certamen adesse videtur;  
 Et nihil audentes præter tutamen ab illis,  
 Ex variis unam statuunt glomerare cohortem.  
 Hæc dum perficiunt, dum pugna quiescit utrinque,  
 Eique parant animos; aliis ex mœnibus urbis,  
 Unde fuere modo pulsi virtute tuentum,  
 Auxilium veniunt pauci deferre gravatis,  
 Fœmineusque viris sexus supperaditur ultro.

570 Excitat ignis eas patrius; animusque virilis,  
 Et vindicta ferox patrum Catalauna suorum  
 Ardet in ore, virisque suis præit æmula virtus.  
 Ira pias accendit opes in pectore: *Nunc, nunc,*  
 Conclamant omnes, *hac, hac rumpamus in hostes,*  
*Et jugulemus eos, veniamque negemus eisdem,*  
*Nec patiamur eos nostris considerare campis.*

Agminis in medio prætor, certaminis omen,  
 Hostibus adversis, circumdatus undique curis,  
 Impavidus tamen, ac animo tranquillus et ore,  
 580 Nominat unumquemque ducum, loca præcipit illis.

Indé pio sermone suos hortatus et instans:  
*Magnanimi juvenes, tutela decusque Gerundæ!*  
*Pro patria pugnare semel juravimus: ergo*  
*Detrectare nefas, opus est decernere ferro.*  
*Pluris habendus honos, ait, vita minoris habenda:*  
*Et virtus, et honor nulli cessere labori.*  
*Una salus nobis, urbem defendere, restat,*

*Nec patet esse, nisi in dextra ferroque salutem,  
Auxilioque Dei verum tutantis et æquum.*

- 590 *Hostis enim numerosus adest : ratus arce potitum,  
Ni dedamur ei, gladium minitatur et ignem.  
Sit licet innumerus, minime metuendus habetur,  
Insidiis victor, plusquam virtute vel armis:  
Vester adhuc vigor invicti cognomen ademit.  
Vosne rogare juvat veniam, quos vicimus hostes?  
Aut veluti pecudes perimi mavultis ab illis,  
Exiliumve pati? Vel eis dedemur inermes,  
His ut pro dominis aliis bellemus in oris?  
Absit, ut ingratis horum nos arma sequamur!*
- 660 *Germanos, Italos, variis ex gentibus agmen,  
Ex patria raptos, aliena negotia agentes,  
Cernite pro Gallis telis occumbere nostris :  
Hæc vobis eadem victis fortuna reservat.  
Non ita; sed rapiamus eis, qua laude tumescunt,  
Et victos toties hodie jaciamus ab arce ;  
Et vestros luat ante pedes aggressio pœnas.  
Ardua pugna manet nobis, sine mænibus ullis,  
Viribus exhaustos, hodie tot prælia functos,  
Corpora corporibus, dextris opponere dextras,*
- 610 *Adversus Gallos armis numeroque potentes ;  
Nec metuenda, quibus graviora peracta fuere :  
Ardor enim vester nihil insuperabile novit.  
His juvenes dictis moniti responsa dedere :  
Sit murus licet eversus, fortissime prætor ;*



*Simus et ex pugnis fessi, numeroque minores;  
 Pro muro sunt arma, manus et pectora nobis.  
 Extemplo pugnare jube, tua jussa sequemur.  
 Quidquid opum restet, quidquid virtutis et artis,  
 Donec erit sanguis, patriæ sacrabimus aris,  
 720 Nec Gallus, vivis nobis, dominabitur urbi.*

Hæc responsa virum plaudens, sic prætor eisdem :  
*Acceleremus, ait, densosque ruamus in illos :  
 Vos ego præcedam. Si narraturus ab armis  
 Nemo supersit, adest gestis rebusque gerendis  
 Fama vigil, testisque parat vulgare per orbem :  
 Hoc opus, hæc virtus, hic honos extollet ad astra.  
 Irruit, his habitis, medios quasi fulmen in hostes,  
 Ipse suis iter ostendens acerrimus heros :  
 Irrumpunt in eos cives exempla sequuti.*

730 *Ut leo, siquando Libicis ægrotus in oris,  
 Viribus amissis, febri jactatur et æstu,  
 Stratus humi, languens, dentes imbellis et unguis,  
 Ludibrio reliquis habitus animantibus ultro ;  
 Vix posita febri, cervice jubisque superbus,  
 Inscius ipse metum, rugit, rabidusque prementes,  
 Hos fugat, hos rapit, hos lacerat, quicumque resistant :  
 Haud aliter ruit in Gallos Hispana juvenus :  
 Clamores horum lauri dant signa futuræ.  
 Obsistunt illi, legione premente Gerundæ,  
 470 Nec jam sufficiunt adversus ubique furentem :  
 Quo magis adversentur ei, magis illa repellit,*

Progrediturque ferox, diffundit ubique pavorem,  
 Et loca vi superat. Diffidunt viribus hostes,  
 Et mandata minasque ducum sibi facta tremiscunt.  
 Inter utrinque metum nec tendere longius audent,  
 Nec revocare gradum; dubii vestigia tardant,  
 Exanimesque suis in sedibus arma fatigant.  
 Ast acies urbana ducum mandata suorum  
 Exsequitur, sedesque suas defendit, et ardet  
 750 Expugnare novas, et ab his detrudere Gallos.  
 Hæc aliquando pedes animosque coercet ab illis,  
 Nocte sub umbrifera gradiens, interque latebras;  
 Insidias caute metuit sibi forte paratas.  
 Hac ita segnitie tanta procedere pugnam,  
 Infestis oculis acies muliebris ut hausit;  
 Continuisse suos reputans ex hoste timorem,  
 Nec perpressa suis istum considerare muris;  
 Concurrit matrona viris, et honesta puella,  
 Et docuere viam, qua se victoria monstrat.  
 760 Tunc acies permista viris muliebris adorta,  
 Eductis raptim cultris, prætores vidente,  
 Recuperat munita, quibus fuit ante potitus  
 Hostis, et unde patet facilis descensus ad urbem:  
 Depulsoque locis illo super ostia muri,  
 Interiora vomunt ignem tormenta, necesque,  
 Calvarius, Gironella suis extranea verrunt;  
 Et centena cadunt hostilia corpora passim.  
 Aspirat fortuna viris, Gallumque tenacem



- Præcipitant, prohibentque iterum conscendere muros.  
 670 Nec tamen eventus tristissimus abstinet illos;  
 Et quamquam victi toties, sub mœnibus ipsis  
 Constituere suo numquam desistere cœpto.  
 Ast ut ab hoste premi cernunt, sese undique pulsos,  
 Inque fuga tantum sibi spem restare salutis,  
 Deseruere prius campum, quam cogeret hostis.  
 Altera deveniens legio succurrere victis,  
 Sternitur, eventuque pari subit altera muros,  
 Altera sic peritura ruit, levat altera cæsam :  
 Hispanum nequeunt Galli tolerare furorem.
- 680 Nox prope jam medium cœli trajecerat axem,  
 Alterutram nequiens partem divellere ab armis;  
 Ast inimica negat se posse accedere muris,  
 Infensosque tremens cives, immobilis astat.  
 Nulla patet via, qua subeat temerarius hostis,  
 Nam cumulant totum prostrata cadavera campum :  
 Corpora sic scalam vivis occisa ministrant.  
 Ingemit ictus, adhuc spirans, vestigia fratrum,  
 Atque comes comiti vitam proculcat, et aufert.  
 Auribus ac oculis ut militis hæsit acerba
- 690 Tot comitum strages, bellum maledicere cœpit ;  
 Unusquisque suum vitæ postponit honorem,  
 Mandatisque ducum parere ferociter obstat.  
 Et solitus toties gemitus audire cadentum,  
 Durus eis, horrenda tamen spectacula cernens,  
 Dissimulare suum ductor nequit ipse pavorem.

Accisas ergo vires stragemque suorum,

Se victum toties, oculis inimicus ut hausit;

Dentibus infrendens adversus inutile bellum,

Desperans pariter bellare per arma Gerundam,

700 Permetuensque minas sibi, Napoleonis et iram;

Reliquias tandem muris eduxit, et urbi

Terga dedit, turpique fuga sua castra petivit.

Inde, pudore metuque premente, lacescere cives

Destitit ad pugnam, renuens accedere muris.

Nec tamen abstinuit procul ignivomentibus armis,

Ac urbem terrere metu, vastare ruina,

Inque dies magis obsidio constringere gentem,

Et prohibere penu, noctuque diuque quiete :

Arbitratus eam nullis se vincere telis

710 Posse, nec insidiis flecti, nisi talibus, urbem.

Hos inter strepitus, hostis dum seminat iras,

Dumque viri, tanto postquam certamine functi,

Incubere solo fessi, cupidique quietis;

Tum demissa venit summo Victoria cœlo,

Ipsa manu gestans palmas, et laurea sarta;

Victoresque petit, plauditque ex æthere cives,

Et gratatur eis de rebus in urbe peractis.

Distribuitque cito sua dona colentibus ipsam,

Unumquemque vocans; et eos, nimis ante paratos,

720 Pro patria pugnare, simul pro legibus almīs

Hortatur sermone gravi. Lætantur ovantes

Talibus insignes donis, et honore triumphī.



Et quamvis alii patrem, natumve requirunt,  
 Amissos alii socios, aliique propinquos;  
 Iste domum dolet eversam, cruciatibus ille,  
 Vulneribusque gemit; verbis tamen alter amicis  
 Temperat alterius lacrymas, ejusque dolores  
 Mitigat exemplis rerum, satis esse monendo  
 Incolumes sese servasse ex ensibus hostis,  
 830 Hunc ex invicto victum pepulisse per arma,  
 Ac urbem certa tutam fecisse ruina.  
 His mœstos recreat monitis, redditque vigorem.  
 Lætitia simul exultant, pugnisque futuris,  
 Talibus assueti curis ex tempore longo,  
 Accingunt sese cives. Nec territat illos  
 Armorum fragor ex hoste furente repulsam,  
 Quominus incensis animis, vultuque sereno,  
 Constituant summis caput objectare periclis,  
 Justitiæ sibi susceptam defendere causam,  
 840 Pugnandoque suam strenue profundere vitam.  
 Oh fœcunda parens heroum, præclara Gerunda!  
 Suscipe vota, quibus toto te corde saluto,  
 Quos tibi portendit Victoria laudis honores,  
 Quæ tua pro gestis meruit præconia virtus.  
 Sis felix, gaudensque diem celebrare memento,  
 Quo tua pugnantis Dominus benedixerit arma,  
 Exaltavit opes humiles, stravitque superbas:  
 Victoresque tuos ideo sacra laurus honestat.  
 Invictæ, quibus Ulma, quibus quoque Mantua, totque

850 Cesserunt urbes, victæ cecidere cohortes.  
 Conspecte funeribus circumdata mœnia Gallis.  
 Adversum te nil potuere tot arma, tot hostes  
 Assueti pugnis acies devincere et urbes.  
 Sperne minas, promissa, dolos, simulataque verba,  
 Et tormenta, quibus quatiant tua mœnia, teque  
 Terrificant illi. Nullis, nolito timere,  
 In pugnis vinceris ab his; quinimo cadentes  
 Arma dedere, dabuntque, quibus tuearis ab ipsis.  
 Terque quaterque tuo plaudens lætare triumpho,  
 860 Magnanimosque tot heroas habuisse tuentes,  
 Prætoresque tibi talem tantumque fuisse,  
 Immortalis eos per iter qui ferret honoris.  
 Omnibus in pugnis victrix ex hoste potente,  
 Auxiliante Deo, Narcisso fisa patrono,  
 Tutelam curante tui, populique salutem,  
 Perge, diemque vove celebrare quotannis,  
 Et gaudens in eo partum memorare triumphum.  
 Carpe manu palmas, laureis caput indue sertis,  
 Auctoriq̄ Deo, qui te decoravit eisdem,  
 870 Ipsius ante pedes hæc ipsa trophæa referto,  
 Pro mercede pias celera persolvere grates.  
 Oh celebris virtute! quibus te laudibus ornem?  
 Urbibus obsessis exemplar in arte tuendi,  
 Æs prius ac ferrum, tua quam constantia cessit.  
 Hæc circum muros multis ex millibus agmen  
 Sola diuque tenens, conata diremit eorum,



- His tulit exitium , patriæ fuit ipsa saluti.  
 Cladibus et virtute ;cui similaberis urbi?  
 Sola Sagunthus erit tibi, parque Numantia laude.  
 780 Has imitata mori poteris, sed nescia vinci :  
 Nec, nisi te functa, terrore quiesceret hostis.  
 Per septem menses obsessa cohortibus umquam  
 Ignaris vinci, crebro quassata furore  
 Tormentis cujusque modi, defensa fideli  
 Militia, sed ea tyrone, tot orba tuentum,  
 Cædibus et morbis consumpta, cruore rigatis  
 Mœnibus et campo circum, moribunda, cadaver,  
 Sola, relicta tibi, sine spe, sine pane nec armis,  
 Conscia de virtute tua, mirabilis orbi ;  
 790 Sic, devicta fame, non hoste, sepulta ruinis,  
 Ante oculos patriæ, deserta levamine fratrum,  
 Victima labe carens, armis oblata prementum,  
 Non homines istis, sed viva cadavera trades.  
 Legibus á patriis numquam cessare tuendis,  
 Vincere, sive mori strenue, tua vota fuerunt :  
 Et semper victrix , numquam devicta fuisti.  
 Testis erit tibi prisca fides, et conscia virtus,  
 Postremo comites in agone : nec inde negabit  
 Orbis eas tibi, nec meritos his laudis honores.  
 800 Consolare tuo, genitrix fortissima, casu,  
 Gestorumque memor justum moderare dolorem.  
 Te decet atque tuos permissos hostis in enses,  
 Constanterque famem, morbos, et funera passos,

Tot vidisse tuos heroica morte peremptos,  
 Captivos duci reliquos trans saxa Pyrenes,  
 Teque premi ditone ducis tibi cæde minacis.  
 Ipse, cui virtus tua formidabilis, hujus  
 Æmulus, atque verens, gladium cohibebit et ignem,  
 Quin etiam cladis miserebitur ipse tuorum.

810 Attamen hoc superest tibi: *Napoleonis ad iram*  
*Mactatum nece prætorem lugere nefanda.*

Illius insidias heros cognovit, et aures  
 Ad promissa minasque negavit, et ipsius omnes  
 Conatus artesque viri constantia fregit.

Fatali quadam tamen, indignaque relatu,  
 Suspicionem, metu, vel honoris imagine læsi,  
 Obsidii prius in curis desertus, in enses  
 Traditus hostiles, misera de clade suorum,

820 Et Gallos impune dolens obsidere muros,  
 Externamque negatus opem, TUTELA Gerundæ,

Invidia ridente, suæ virtutis in hostes  
 Victima, privatim pœnas expendet iniquas;  
 Unaque solvet eam, Gallumque timore tyrannum,  
 Hujus ad opprobrium mactata furoris ad aras.

Inclyte dux, miserande simul! Tua bellica virtus,  
 In patriam pietas, studium, constantia, reddit  
 Impavidos, similesque tuos tibi pectore cives:  
 Fama nec inveniet, quibus æquipararit in armis.  
 Defendes urbem, tua eis exempla sequutis,

830 Limen ad extremum necis; invictumque sed ensem



Non supplex hosti, morbo tantummodo trades.  
 Omnibus in pugnis lauros herois adepto,  
 Martiris invicti tibi restat habere coronam;  
 Et nisi me ratio fallit præsaça futuri,  
 Invenies captivus eam ditione sub hostis,  
 Insultus gravis, imperio violenter adactus,  
 Omnimodoque, reus veluti, cruciatus ab illis,  
 Vincere qui te non animo potuere nec armis.  
 Integritate, fide, patrioque insignis amore,  
 940 Justitiæque tenax, odiosus haberis, et obex  
 Terribilis ducibus Gallis, horumque tyranno,  
 Heroem qui se solum concedit in orbe,  
 Invictosque suos, quos ipse creavit alumnos;  
 Qui cupit in terris unus dominator haberi,  
 Arbiter omnimodus, cui nemo resistere debet.  
 Hujus enim jussu captivus, inermis, egenus,  
 Æger ductus eris belli solemne trophæum,  
 Traditus opprobrio Gallæ in spectacula plebis.  
 Gallia sed comitum specie commota tuorum,  
 950 Qui te præcedent, ea viva cadavera cernens,  
 Reliquias heroum patriæ sacra jura tuentum,  
 Unius hæc passos memor ambitione tyranni,  
 (Altera nam civilis eis erit, altera miles)  
 Non ea læta sibi, potius funesta putabit;  
 Effundet lacrymas, misera de sorte dolebit,  
 Auxiliumque feret, clademque levabit eorum.  
 Ast te cum videat, heros tutela Gerundæ,

Qui modo terror eras , et strages agminis ejus ,  
 In stabulis mersum , pro sella stercus habentem ,  
 960 In tenebris , quasi jumentum , custodibus intus  
 Servatum duris , ægrum , patienter eorum  
 Ferre tot insultus , ingrata videre pudebit ,  
 Opprobrioque sibi tribuet , minimeque decori :  
 Et tua matronis sæva infortunia Gallis  
 Ingentem planctum , miserataque corda movebit .

Oh dux illustris , patriæ fidissime tutor !  
 Invidia dempta , totus te prædicat orbis  
 Heroem , studiose in te sua lumina figit ,  
 Ex te quisque suas urbes defendere discit .  
 970 Anxia tot belli curis Hispania salvum  
 Te , simul hanc de se meritam desiderat urbem ,  
 Hanc omni studio jubet obsidione levari .  
 Suscipit hoc opus unanimi Catalaunia voto ,  
 Undique more suo volat ejus ad arma juvenus ;  
 Vafra moræ tamen inveniet simulatio causam ,  
 Teque relinquet eamque feris in faucibus hostis .  
 Pane videbis eum coram , lacrymabile ! vesci ,  
 Quo saturanda fames esset diuturna tuorum .  
 Virtuti pergrata tuæ tibi laureaserta  
 980 Patria contexit , meritas persolvere grates ,  
 Præmia , mercedem , titulos , disponit honores ;  
 Has sed inane parens servat tibi patria laudes ,  
 Intuituque tui non amplius ipsa fruetur .  
 Sim vates utinam falsus ! Quas patria lauros



- Instituit tibi, quos plausus, quas reddere grates,  
 In lacrymas sunt, et mœstas mutanda cupressos.  
 Cum nullas urbis sine labe reliquerit ædes  
 Ferrea tempestas, tua non habitacula lædet:  
 At solitus violare fidem pactusque tyrannus,  
 990 Quem virtus aliena dies noctesque molestat,  
 Vindictam de te, tamquam de crimine, sumet.  
 Auguriumne vales, Heros, audire serenus,  
 Cum dolor et lacrymæ prohibent expromere vatem?  
 In patria moriere; tuum nec patria funus  
 Cognoscet, causamque, modumque, nec horam.  
 In stabulo morieris, equis comitantibus hostis:  
 Fama feret, quibus afflictus cruciatibus illic  
 Occumbes, ea vix nostris credenda diebus.  
 Nec tibi servus erit mœsti lenimen agonis,  
 1000 Nec sacer, Ecclesiæ tibi qui sacramenta ministret;  
 Et duplici livore sui jam compote voti,  
 Sindone velatus, non rite locatus in urna,  
 In fossa Parochis humili traderis humanus;  
 Nobiliore nec his tumulo decorare licebit:  
 Præter eos nemo tristes tibi solvet honores.  
 Patria sed memor officii, non immemor umquam  
 Te meritum bene de se, cui tua gloria, nomen,  
 Semper erunt in honore, tuum studiosa requirit,  
 Et lacrymis tumulum corpusque rigabit amicis:  
 1010 Et tua magnifico colet ossa Gerunda sepulcro,  
 Æternamque tuam requiem, comitumque tuorum,

Æternum precibus Dominum votisque rogabit.

Tanta, Gerunda, tibi clades subeunda manebit!

Talis erit fortuna ducis, murosque tuentum!

Hæc in eos decreta fuit sententia quondam:

*Hanc urbem minime decet obsidione levandam,*

*Prætoremque Gerundensi superesse triumpho.*

Oh generosa! tui non immemor esto vigoris,

Sis animo forti, coeptumque relinquere noli.

1020 Solve metus, et in adversis ne defice rebus.

Gaudia post lacrymas venient. Servare memento

Lenitura tuum prænuntia nostra dolorem:

*Sat patriæ decorique dato, propriæque saluti,*

*Succumbes oneri cladum, non viribus hostis,*

*Occumbes, velut herois solet, inscia vinci.*

Hæc utinam tua nostrates exempla sequantur,

Conspirentque duces patriæ vitare ruinam!

Absit, ut anteferens ejus sua commoda quisque,

Æmulus alterius laudis sibi consulat alter,

1030 Perque dolos quærens nimis ambitiosus honores,

Immolet arma, viros, patriam livoris ad iras:

Propterea sese studia in contraria vertat,

Et diffisus eis populus decedat ab armis.

Nam nisi communi privata negotia cedant;

Heu! quid erit stimulo, constanter ut hostibus obstent,

Urbibus obsessis, cum te, sine pane, tot haustam

Cladibus, obsidium memorent subiisse tremendum,

Externaque, diu quassam, caruisse medela?




Te decet, heroasque tuos, semperque decebit,  
 1040 Unanimes patriæ studio, non lucra petentes,  
 Objecisse caput belli mortisque periclis:  
 Inque tui plausum toto celebrabitur orbe,  
 Pro patria tibi nil aliud restare gerendum,  
 Hispana bene propterea de gente mereri.  
 De virtute tua quam multa canenda supersunt!  
 Hanc stupet, hanc hostis miratur, et ipse fatetur;  
 Novit enim quantis submersa laboribus obstes  
 Viribus una suis; civesque lacessere terret,  
 Nec tentabit eos, quod adusque resistere cernat,  
 1050 Aut extrema fames animo spoliaverit omni.  
 Hos captos mutare suo cum milite capto  
 Abnuet, imo penes sese retinebit eosdem,  
 Quos ardore suis sensit præcellere turmis;  
 Et servabit eos, alios missurus in hostes.  
 Urbibus atque viris exempla imitanda relinques,  
 Et documenta, quibus patriam defendere curent.  
 Æmula facta tuæ virtutis Ibera juvenus,  
 Tendit, avetque suam pugnis monstrare futuris.  
 Ut nostri proavi septem per sæcula bellum  
 1060 Gesserunt adversus Afros, patriamque levarunt  
 Intrusis dominis, quibus otia nulla dedere,  
 Donec eos omnino solo pepulere paterno:  
 Sic juvenes nostri, Gallos constanter adorti,  
 Prosternent veluti pecudes; plerisque peremptis,  
 Reliquias adigent profugas transire Pyrenem.

- An peritura times ne sit tua gloria tecum?  
 Pro meritis dignas referet tibi patria grates,  
 Officiique memor summo decorabit honore.  
 Non tamen æqua tuis præsens generatio factis,  
 1070 Qualia Posteritas olim præconia reddet:  
 Nam tibi, prætorique tuo, patribusque senatus,  
 Militiæ, simul omnigenis tutoribus arcis,  
 Ordinibusque sacris, medicis, urbisque ministris,  
 Civibus, atque viris queiscumque colentibus ipsam,  
 Matronis, senibus, pueris, tenerisque puellis,  
 Quorum pro patriæ, quantum valere, salute  
 Nemo negavit opem, nec omisit adire pericla,  
 ISTE DIES ERIT ÆTERNÆ PER SÆCULA LAUDI,  
 DEDECORI, SIMUL OPPROBRIUM, GALLISQUE PUDORI.  
 1080 Pro reliquis etiam gestis, et in urbe gerendis,  
 Gloria par eademque tuis tribuetur alumnis.  
 Dum lapis hac sit in urbe, solumque sedile Gerundæ,  
 Campus erit sacer, heroumque cruore rigatus:  
 Ipsa ruina feret signum virtutis eorum,  
 Famaque testis avet terras vulgare per omnes.  
 Nulla quidem regio, quamvis extrema sit orbis,  
 Nec locus ullus erit, quo non pervenerit olim,  
 Pro patria quantas susceperis excita pugnas  
 Adversus Gallos, quantos perpessa labores,  
 1090 Obsidio diuturna, fames, constantia gentis,  
 Gloria summa virum, gestis ex rebus eorum:  
 Nec vir erit quisquam, cui non ea digna relatu,



Non præclara nimis, cui non imitanda putentur;  
Præco nec ipse tuæ fiat virtutis in armis,  
Prætozemque, tuosque ferat super æthera cives,  
Qui meruisse decus neget inmortale Gerundam.



Non parvitas animi, cui non incutenda potentia  
Pace non ipse tunc fit virtus in armis,  
Pacemque, tuosque ferat aspectus adhaerere  
Qui mirasse docet negotio immortale Gerendum.















